

quadam consistunt, quam corruptio etiam sequi posse videtur. Experimento id constat. Divus namque Augustinus, ex M. Varrone refert Ogygii Regis tempore, Venerem stellam, mutasse colorem, et magnitudinem, et figuram, et cursum. Quæ res ævo etiam nostro accidit anno MDLXXVIII Romæque visum id est die XVI Novembris. In Germania vero die Decembris XXVI. Perque totum eum annum, sub vesperam, Sole nondum merso, visa est magnitudine insolita, figura vero, modo triangula modo quadrangula, modo rotunda: et splendore maximo, et rubedine maiore, quam sit Martis rubedo. Cursum tamen non mutavit. Si stellæ immutabiles essent, duo hæc tam magna non evenissent accidentia. Evenerunt. Horum eventuum, quæ nam causa est dicenda? Stellæ omnes flammæ sunt, rarefactione, ac condensatione fiunt, tum clariores, tum minus claræ. Copia vero, vel maiores, vel minores sunt. Quam rem apud nos fieri quotidie cernimus. Et ex iis quæ apud nos contingunt, admonuit Aristoteles, ea quæ sensibus non sunt manifesta, nos debere venari. Iuxta quam rationem dicimus nos, alterationem illam veterem, quæ Ogygis tempore evenit, quia de colore nulla fit mentio, non posse nos quicquam divinare, sicut neque de magnitudine, maiore vel minore, vel etiam figura. Hæc enim omnia tacentur. Sed desecunda, videtur posse aliquid dici. Videlicet splendorem illum maximum, et rubedinem, ex condensatione provenisse. Ostendimus enim, quando vel fumus, vel fluor qui ardet, densatur magis, in rubedinem eum tendere. Figuras aut mutasse, dum vel magis, vel densatur minus, ab omnibus partibus non æqualiter. Si vero magnitudo illa insolita intelligatur, proparvitate, evenit sane ex densatione maiore. Eadem enim moles, dum rarefit, maior; dum densatur, apparet necessario minor. Si vero crevisse magnitudine intelligatur, proculdubio id evenisse est existimandum, quia, vel alia ex æthere ei accesserit materies, vel quia eadem quæ prius erat, rarior sit facta. Cursum autem veterem illam mutasse, nihil est mirum. Nam et stellæ reliquæ, mutare locum non videntur. Et stella nova, quæ anno 1572 nata est in Cassiopea, sedem suam, toto XVI mensium tempore servavit. Rarefactione autem, in ætheream diaphanitatem est mutata et evanuit. Vel quod antea diximus, iter sursum arripuit, ita ut oculi nostri eam non potuerint sequi visu. Haud aliter ac Mercurius, qui dum in Apogæum sui epicycli dicitur scandere, omnibus oculis, nisi acutissimis fit invisibilis. Itaque hæc novæ stellæ occultatio, vel extinctio, et evanescentia, et in ætherem conversio fuit, vel maior a nostris oculis ascensio. Et quod de his Veneris, et novæ stellæ mutationibus diximus, possunt, de aliis quoque similibus, ac debent intelligi. Sicuti de stella alia illa recens Hipparchi tempore nata, et de Solis, quam postea dicemus luce languidiore.

*Finis Libri Octavidecimi Pancosmiæ.*